

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

**Meditationum evangelicarum pars secunda, hoc est:
Solida, ad discendam & exercendam, ex evangeliis tam
dominicalibus quam festivalibus Christi & sui-ipsius
notitiam, informatio**

Creide, Hartmann

Francofurti ad Moenum, 1682

De secundo

[urn:nbn:de:bsz:31-126164](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-126164)

Similiter constantia Danielis in causa fuit, quod Rex Darius decretum constituerit, ut in universo imperio & regno suo tremiscant & paveant Deum Danielis, Dan. 6. v. 26.

Comitia Augustana indicta erant eo fine, ut Lutherana religio plane extirparetur. Cum vero status Potestantium confessionem suam animo imperterriti ederent, & constantiter eidem inhærent, ipse Imperator constantia hac incitabatur, ut diceret: Non videre se, quid in hac confessione mali esset, optare potius, ut in toto orbe sic doceretur.

Dux Bavarix Wilhelmus dixit itidem ad D. Eccium: Mihi hæctenus alia & turpiora multa de Lutheri doctrina relata sunt, quam modo audivimus.

Imperator Ferdinandus I. dixit ad Mathesium Pragæ vocatum: *Redi domum, & tuos doce, ut hæctenus fecisti, secundum confessionem Augustanam.* Ita multum confert, quando fidei lux lucet, hoc ipso alii adducuntur ad similem constantiam, & ut patrem, qui in cælis est, glorificent, Matth. 5. v. 16.

Summa: Omnis, qui confitebitur me coram hominibus, confitebor & ego coram patre meo, qui in cælis est, Matth. 10. v. 32. 33.

De Secundo.

Pergemus nunc ad alteram partem, *ἡμετέρας νουσίας*, sive notitiam Christi, contemplaturi. Hic nobis commendatur:

I. *Tanquam Dei filius.* Dixit enim Simon Petrus ad Christum: Tu es Christus,

filius Dei vivi. Et hæc confessio Servatori adeo placet, ut eum propterea beatum deprecet.

Alias non præterit nos, Servatorem nostrum geminam nativitate habere, sicut & duas naturas habet, idcoque Deus & homo est in una persona. *In tempore* natus est ex Maria virgine: Ubi enim venit plenitudo temporis, misit Deus filium suum factum ex muliere, Gal. 4. v. 4. *Ab æterno* vero genitus est à patre suo: & sicut juxta nativitatem corporalem est *ἀπὸ τῆς ᾠγῆς*, ita & juxta æternam generationem est *ἀμύτῳ*, Heb. 7. v. 3.

Quæ vero æternæ hujus nativitatis ratio sit, id in hac mortalitate capere minus possumus, & propterea ut alia mylteria plura in vita æterna addiscenda reservare cogimur. Interea, quemadmodû de Deo melius dicere possumus, quid non sit, quam quid sit: ita etiam de æterna filii Dei generatione facilius referre possumus, quid non sit, quam quid sit.

In corporali hominis nativitate mutatio quædam accidit: sed in æterna æterni filii Dei mutatione, nulla mutatio locum habet, Deus quippe non mutatur, Mal. 3. v. 6.

In corporali hominis nativitate tempus nominari potest, quo natus nondum fuit, antequam natus est: sed in æterna æterni filii Dei generatione nullum tempus præcedit, quia pater filium suum ab æterno genuit, ubi nullum tempus appellari potest, quo filius non fuerit: egressus enim ejus est ab initio, à diebus æternitatis, Mich. 5. vers. 2.

In corporali hominis nativitate materia est, ex qua homo nascitur, Sap. 7. v. 2. verum in æterna filii Dei generatione tale

Bbbb quid

quid non reperitur, Deus enim spiritus est, Joh. 4. v. 24.

Incorporali hominis nativitate, pater & filius quidem similis essentia sunt. Uterque enim homo est: at non unius essentia sunt: sed quilibet distinctam ab altero essentiam habet: Cum aeterna vero filii Dei generatione aliter comparatum est, ut pater & filius non similis modo, sed & unius essentia sint. Ego enim & pater unum sumus, inquit ipse Servator, Joh. 10. v. 30.

Quando inter homines filium videmus, non statim & patrem cernimus: At hic, qui me videt, videt & patrem: credite mihi, quod ego in patre, & pater in me est, inquit Christus, Joh. 14. v. 10.

Est ergo mysterium, quod rationi obvium non est. Difficile aestimamus, quae in terra sunt, &c. Sap. 9. v. 16. 17.

Quia vero aeternus hic Dei filius humanam naturam in unitatem personae assumpsit, ut non duae personae sint, altera Deus, altera homo, sed una persona quae *θεός & ἄνθρωπος* est, recte hinc dici potest: Filius hominis est filius Dei vivi: & vice versa: Filius DEI vivi est filius hominis, idque ratione arctissima unionis, vi cuius verbum caro factum est, Joh. 1. v. 14. & in Christo tota plenitudo divinitatis corporaliter habitat, Col. 2. v. 9.

Hujus igitur Articuli professione separamur:

1. *Ab ethnicismo*, ibi enim Deus qui filium sibi coaeternum habeat, plane ignoratur, sed mutaverunt potius gloriam incorruptibilis Dei, in similitudinem imaginis corruptibilis hominis, & volucrum & quadrupedum, Rom. 1. v. 23.

2. *A judaismo*, qui etsi Deum caeli & terrae confiteantur, non tamen eundem patrem profitentur, qui ab aeterno filium ex essentia sua genuerit: sed blasphemam potius & convitiatur hunc aeternum Dei filium, ideo sine Deo in mundo sunt, & alienati à vita Dei, Ephes. 4. v. 18. 1. Joh. 3. v. 23.

3. *A Nestorianismo*: Nestorius quippe communicationem naturarum & idioma-tum in Christo negavit, nec concedere voluit, filium hominis esse filium Dei vivi, & filium Dei vivi esse filium hominis, propterea dicere consuevit: *Noli gloriari Judae, non enim Deum, sed hominem crucifixisti.*

Nos vero credimus atque confitemur, quod Christus Servator noster, sit verus Deus à patre ab aeterno genitus, idemque verus homo ex Maria virgine in tempore natus, unus ille mediator Dei & hominum, qui se ipsum pretium redemptionis dedit pro omnibus, 1. Tim. 2. v. 5. & oramus Deum ex animo, ut in hac confessione nos constanter conservare dignetur.

Fac me tuum manere,
Mi Jova, mi Deus,
Soli tibi adherere
Fideque sim sanus:
Apostolare nunquam
Constantiam firma,
Tibi que grates dicam
In cuncta secula.

Laß mich dein seyn und bleiben/
O treuer Gott und Herr/
Von dir laß mich nicht bleiben/
Halt mich bey reiner Lehr.

Gott

Von dir laß mich nicht wandern/
 Gib mir Beständigkeit!
 Dasur wil ich dir danken/
 In alle Ewigkeit.

II. *Tanquam ecclesia patronus.* Ipse enim petra illa est, de qua in Evangelio ait: super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam. Ita hæc verba explicat Esaias, inquit: Sperate in Domino perpetuo, quia in Domino Dominus est petra æterna, Esa. 26.

v. 4. Similiter Paulus, dicens: Petra est Christus, 1. Cor. 10. v. 4. Petrus, Act. 4. v. 12. Nec non veteres ecclesie Doctores, Hieronymus, Chrysostomus, Augustinus, imprimis postremus hic præclare dicit: *Super hanc petram, quam tu Petre cognovisti & confessus es, ædificabo ecclesiam meam: ædificabo te super me, non me super te.*

Quia igitur ecclesia tantæ petre innixa est, minus metuere debemus, licet omnia in mundo sursum & deorsum ferantur, Ps. 46. v. 1. seqq.

Quando quis iter facit, videtque latrones sibi imminere, si civitatem, vel locum munitam in vicinia habet, festinat, quo eo perveniat. Sicut omnis turba Hierosolymam confluit ex pagis, cum tempore Josaphat congregati essent filii Moab, & filii Ammon, & cum eis de Ammonitis, ut pugnarent adversus Josaphat. 2. Chron. 20. v. 1. quod & tempore Maccabæorum factum 1. Mac. 6. v. 57.

Nos quoque *hostibus insonsisimis undiq; cincti sumus: ex una parte rugit Diabolus*, ut leo, 1. Pet. 5. v. 8. *ex altera infestat nos mundus*, qui totus in maligno positus est, 1. Joh. 5. v. 19. in nobis bonum non habitat, Rom. 7. v. 18. sed caro concupiscit adversus spiritum, Gal. 5. v. 17. quia vero ejusmo-

di castellum habemus, quod non modo in petra ædificatum est: sed & talem patrum, qui fideles suos orphanos non relinquit, Joh. 14. v. 18. Sed murus igneus est in circuitu illorum, Zach. 2. v. 5. ut non moveantur vehementer, Psal. 62. v. 3. ideo læto animo esse possumus.

Simson habitavit in specu silicis Etam, Jud. 15. v. 11. sexcenti viri Benjamin sustentarunt se in petra Remmon, Jud. 20. v. 47. Vide 1. Sam. 24. v. 3.

Sed in majori securitate degimus, quando ad Christum petram salutis confugimus tempore necessitatis: est enim petra æterna, Esa. 26. v. 4. de qua Ecclesia:

Qui sperat in Deo bono,
 Confusus haud abibit:
 Fultus hoc sustentaculo
 Quamvis eum invadit,
 Multum mali, nunquam vidi
 Talem virum cadentem,
 Quem spes boni fulcit Dei,
 Non deserit fidentem.

Wer hofft in Gott und dem vertraut/
 Der wird nimmer zu schanden:
 Und wer auf diesen Felsen baut/
 Ob ihm gleich geht zu handen/
 Viel Unfalls hier hab ich doch nie
 Den Menschen sehen fallen:
 Der sich verläßt auf Gottes Trost/
 Er hilfft sein Gläubgen allen.

Quinque Reges Amorrhæorum abiderunt se in speluncam urbis Maceda, putantes, ibi se tutos fore, sed extracti suspendebantur, Johann. 10. v. 22. Qui vero in Christo confidunt, non commovebuntur, sed permanebunt, sicut mons Sion, Ps.

125. vers. 1. & iuferorum portæ non præ-
valebunt aduersus eum, Matth. 16. Chri-
stus enim instaurabit, confortabit, ro-
borabit, & fundabit eos, 1. Petr. 5. vers.
10. ut bonam militiam militent, 1. Tim.
1. v. 18. & omnibus perfectis stare possint,
Eph. 6. v. 13.

III. *Tanquam clavium Dominus*, ideo
hic ad Petrum ait: Et dabo tibi claves
regni cælorum. Et quodcunque ligaveris
super terram, erit ligatum & in cælis: &
quodcunque solveris super terram, erit so-
lutum & in cælis.

Quando ædes claufas intrare volumus,
& clave illas recludere possumus, & ita introi-
re: Sic *Deus duas domos habet*, altera est
domus Ecclesiæ, domus Dei vivi, 1. Tim. 3. 15.
altera est *domus vitæ æternæ*, quæ manufacta
non est, 2. Cor. 5. v. 1.

Ad utramque *duos claves* ordinavit, al-
teram, quæ aperit, alteram, quæ claudit: has
claves œconomis & dispensatoribus suis
concredidit, qui sunt verbi præcones, 1.
Cor. 4. v. 23.

Clave solvente peccatorem mœstum,
eum desperatione luctantem consolari, ei-
demque cælum recludere poterunt, quod
peccatis ejus oppressum fuit, quo cer-
tam salutis spem ille concipiat, Rom. 8.
v. 17.

Clave ligante peccatoribus præfractis
cælum ocludere, iisque omnem veniæ

spem denegare possunt, ni respiciant
à Diaboli laqueis, à quo captivi tenen-
tur, ad ipsius voluntatem, 2. Timoth. 2.
v. ult.

Hæc ita *spiritualis Ecclesiæ potestas* est,
quam Christus dispensatoribus suis
credidit in ædificationem, & in destructio-
nem, 2. Cor. 10. vers. 7. ideoque ipse est
& manet solus Dominus clavium, quod
vero ministri faciunt in nomine ejus faci-
unt, unde Chrysostomus: *Quæ sacerdotes a-
gunt in terris, ea Deus rata habet in cælis &
servorum suorum sententiam confirmat. Do-
minus*, Luc. 10. v. 16.

Hoc magno nobis solatio esse potest.
Quia enim quotidie delinquimus, & qui-
dem sæpe, ut delicta nemo intelligere pos-
sit, Psal. 19. v. 13. Optimus Servator noster
nihil salutaris ordinare potuisset, quam
absolutionem, in qua à peccatis absolvi-
mur, & cælum apertum videmus, ante oc-
clusum, velut Stephanus, Act. 7. v. 5. Hæc
talis est refectio qualis in toto mundo non
reperitur. Qui enim benevolam Deum
in cælo habet, cum Assaph confidenter
dicere potest: Quid enim mihi est in cæ-
lo? Psal. 73. v. 25. 26.

Largiatur nobis Deus gratiam suam, ut
utraque hæc clave recte utamur, in ejus
gloriam & nostram salutem, per Chri-
stum, Dominum & Servatorem
nostrum, Amen.